



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri**

**Ávila, Esteban de  
Azpilcueta, Martín de**

**Lvgdvni, 1609**

Donatio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41656**

DOMINVS. DONATIO. 199

Dominium rei furtiue permanentis in specie, non transit in furem, sed semper manet penes dominum. num. 94.

Dominium rei acceptæ in extrema necessitate non transit in accipientem. nu. 61. Neque omnis qui licite utitur re, fit Dominus eius. num. 62.

De dominio animalium, ferarum, auium, &c. vide Venatio. dominium per quos contractus transferatur. vide tit. contractus.

DOMINVS.

Peccat negligens ea quæ pertinent ad seruorum vel famulorum salutem spiritua-lem, & qui non curat docere illos doctrinam Christianam, & qui negligit nosse manifesta peccata seruorum, vt corrigat. Item qui prohibet seruis suis matrimonium contrahere. cap. 14. num. 21. non tamen tenetur præbere consensum, nec concedere facultatem ad contrahendum. ibid.

Quomodo teneatur soluere salarium famulis. vide tit. Salarium. non potest atrociter punire seruum. cap. 14. num. 19.

DONATIO.

Donatio à marito facta vxori, aut è A  
contra post matrimonium contractum

N 4 de

de presenti, aut antè, pro tempore quo contractū fuerit, non valet, & donator antequā moriatur, potest reuocare cūm libuerit, quāuis sit per tertiam personam & per modum remissionis debiti. exceptis his, quando imperator, aut Rex donat Imperatrici, aut Reginae, vel vice versa. Et quādo donatur pecunia pro restaurādis igne absumptis. Et quādo donator non sit pauperior ob talem donationem, quamuis recipiens ditior fiat. Et quando recipiēs non sic ditior, quamuis donator fiat pauperior. Et quando donatur pro tempore, in quo matrimonium perficietur, scilicet vt res fiat alterius coniugis, quando alter morietur. Et quādo donatio fit mortis causa, vt donatarius post mortem donatoris id habeat, dummodō in vita facultate reuocandi non se priuet. Et quando vxor marito donat ad aliquem honorem, aut dignitatem consequendam. Et quando maritus extante matrimonio vxori omnē dotē promissam, aut aliquam eius partem remittit. Remissio tamen alterius debiti non valet. Et quando maritus vxori suae in mensem, aut annū, aut quādiu fuerit superstes pro victu suo, & suorum, certū quid pro estimatione fructuū dotis, & non amplius deputat. cap. 17. nu. 149. 150.

Seclusis igitur his exceptionibus, stat quod dictum est prius.

Donatio

Donatio facta à mutuario censenda est libera, ex qualitate rei data, ex lucro, vel iactura dantis, & ex eo quod in tali casu poscebat virtus gratitudinis. num. 209.

Donatio ab emente maioris iusto pretio facta in ipsa emptione ceterur coacta, secus si fiat post. cap. 13. num. 88.

Donatio non valet in foro conscientie, nisi fiat liberè, quavis metus nō sit tātus, vt sufficiat ad inualidādū eā in foro exteriori. c. 17. n. 4. vnde talis donatarius tenetur restituere in foro conscientia. n. 15. de quo tit. metus.

Donare non possunt Abbates, Religiosi, moniales, serui, filij sub potestate patris. Possunt tamen filij donare cognatis, si liberam administrationem habēt, & etiam aliis, ex bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. Possunt etiam omnes supradicti cū expressa vel tacita facultate superiorum. Quam tunc censentur habere maximè religiosi, & filij, qui cum eorum facultate student, vel peregrinantur, ad largiendas elemosynas iuxta id quod alij scholastici suæ conditions faciunt, & etiam in casu extremæ necessitatis, imò & magnæ, si non patet aditus ad superiorem. cap. 17. num. 105. de facultate autem quam isti habent ad ludendum. vide tit. Ludus. lit. H.

Vxor, quæ præter dotem, non habet bona

N 5 para

paraphernalia, sine expresso vel tacito consensu viri donare non potest, nec furiosus non habes lucida interualla, nec pupillus absque tutoris auctoritate, nec prodigus, nec minor 25. annorum, quamquam huius donatio valebit, si post illos donationem ratam habuerit. Item non possunt donare personae Ecclesiae de redditibus Ecclesiasticis, nisi ad opera pia vel modis positis. nu. 94. vide Beneficium III. A. Nec etiam haeretici rebelles: nec alij, quos ob sua crimina lex ipso facto priuat. Donatarij vero poterunt rem donatam retinere ante sententiam declaratoriam. num. 106.

**E** Donatio à patre facta filio existenti sub eius potestate non valet, nec è contrario, nisi in quinque casibus. I. Facta à patre in dotem aut matrimonium. II. Mobilium facta pro bello. III. Vfusfructus quem in bonis filij aduentitijs habet pater. IV. Facta pro meritis, & seruitijs, in quantum pater deberet dare alij extraneo pro similibus alijs meritis. Quae in foro conscientiae, sufficit vt sint verae: sed in foro exteriori debent probari. V. In omnibus casibus, in quibus donatio à marito uxori suae sive ab uxore marito facta, valet. c. 17. nu. 145. 146. Vnde donatio inter virum & uxorem, & donatio inter patrem & filium, communiter æquiparantur. num. 147.

Donatio excedens quantitatem lege taxatam, non rescinditur.

rescinditur in totū, sed iuxta excessū. n. 147.

Donatio verò facta à marito de bonis mobilibus, sine consensu vxoris, valet. num. 155.

Pater nō potest minuere legitimam filii per veras donationes, nec contractus simulatos forma onerosos, & re ipsa gratuitos: possunt verò per verè onerosos, & per donationes remuneratorias etiam dando aliquid amplius vltra merita donatarij. cap. 26. n. 39.

Cui prohibetur donare simpliciter, non prohibetur donare ob causam. Vnde potest pater in vita largiri de suis bonis in veras eleemosynas, & opera pia, pertinētia ad cultum diuinum, ad salutem animæ, & satisfactionem peccatorum. cap. 26. num. 39.

### D O S.

Pater tenetur dotare filias etiam spurias. c. 14. n. 17. Legatū verò quod pater relinquit filia cui debebat dotem, videtur relinquere in solutionem debiti. c. 17. n. 150.

Qui recepit dotē, & heredes eius in casu diuortij tenentur vxori viduæ, vel separatæ præbere alimēta, quæ salua dote dari possūt donec persoluatur vxori. Iusta autē sūt regionū statuta, quòd promittēs dotē donec soluat, & maritus, & eius hæredes donec dotē reddāt, vxori viduæ, vel separatæ impendant certum quid ex centū in singulos annos. c. 17. n. 213.

D V